4-9


EPISTOLA PASTORALIS

A D

CLERUM ET POPULUM

CIVITATIS ET DIOECESIS

PISAURENSIS.





ROMAE MDCCCXXIV.

APUD FRANCISCUM BOURLIÈ

Superiorum permissu.

FELIX BEZZIUS

PATRITIUS TOLENTINAS, ET FABRIANENSIS

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS PISAURENSIS

VENERABILIBUS FRATRIBUS, ET DILECTIS FILIIS,
COLLEGIO CANONICORUM, PAROCHIS, CLERICIS, RELIGIOSIS VIRIS,
VIRGINIBUS SACRIS, ORDINIBUS UNIVERSIS
CIVITATIS ET DIOECESIS.

Gratia, Misericordia, et Pax a Deo Patre, et CHRISTO JESU Domino Nostro.

Ad Episcopale munus ex Pontificis Summi LEONIS XII. nutu accitus, maximas sane, atque immortales providentiae Ipsius gratias agendas video, quod cum id mihi oneris imponendum duxerit, istius potius, quam alterius cujusque Ecclesiae procurationem mihi demandarit. Prospexit quippe exiguitati meae, Gregem mihi commendans optime ad meliora quaeque comparatum, qui proinde Pastoris amantissimi curis, studiisque apprime respondeat. Multa idcirco fiducia mihi est apud vos: multa gloriatio pro vobis, quos vel a primis rei Christianae saeculis sanctam fidem edoctos uberrimis adsidue fructibus decoris, et honestatis abundasse, et vetusta, et recentiora monumenta testantur. Commendat quidem laus isthaec quotidianam illorum instantiam, qui vos rexere Antistites inconfusibiles, ac virtute praestantes, quibus cum me accenseri animadvertam, qui probe video paupertatem meam, desponderem animo, nisi quae ipsi seminaverunt, me in pulchritudine pacis collecturum fore perpenderem, et in ipsorum labores ingressus maximam

inde impositi oneris partem detractam mihi persentirem . Octavium Zollium heic prae ceteris nominatum volo , qui ad rem sacram in Patria gerendam evocatus tantum apud vos sui desiderium reliquit ex prudentia, pietate , doctrina , gravitate , quibus in exemplum praefulgebat , habitus idcirco Parens publicus , Deo dilectus, et hominibus .

Ast haec licet animum mihi , et studium , et consilium addant , non ideo tamen rem plane in tuto esse positam existimo . Cum enim vicaria auctoritate amplissimas Dioeceses , Maceratensem primo , Firmanam deinde annis plus minus viginti administrarim , quibus operam meam quantulamcumque Praesulibus praeclarissimis commodavi,Spinuccio Cardinali,et Minuccio Archiepiscopo,quorum egregia in me merita nulla unquam sinam oblivione deleri:expertus novi,quidnam negocii sit, suscipere salutem populorum , et apud Deum aliena facta , moresque praestare . Quod quidem si perdifficilem semper , et fortissimo cuilibet formidandam gubernationem induxit,nunc profecto ex temporum,quae haud ita pridem nacti sumus , acerbitate , longe gravissimum dignoscitur , mihi vero animi , corporisque viribus destituto plane non ferendum .

Feram tamen levans me supra me , praesentissima Illius ope sustentatus , qui potest et de lapidibus suscitare filios Abrahae , et ea,quae non sunt, vocare,tamquam ea, quae sunt . Feram Pontificis indulgentissimi benignitate confirmatus,qui cum fuerit inopinati muneris auctor, erit et in administratione praesidium . Feram demum ex ipsius Gregis natura , qui fuit semper gaudium , decusque Pastorum , mihique pariter cumulatam inferet, perennemque jucunditatem .

Hac ego mente ad Vos venio cum fiducia, Charissi-

simi, quos patrio jam affectu complector in CHRISTO JESU, conglutinatam sentiens animam meam animabus vestris, pro quarum salute me, curas, fortunasque omnes integre devovi, quidquid vel auctoritate valeam, vel industria, vel viribus, id omne in earum rationes lubentissime collaturus. Nunciam proinde laetitiae, ac dilectionis impensissimae epistolam hanc mitto, id cumprimis vos monens, ut in charitate radicati, et fundati impleamur invicem communicatione Sancti Spiritus in omnem plenitudinem Dei.

Conabor id quidem, prout mei muneris ratio postulat, ut Eo bene juvante, qui est redemptio,et justitia, possim advenienti Judici,oviumque sanguinem de manibus meis exquirenti reponere fidenter, neminem me perdidisse ex eis, quos dedit mihi. Ast optatos exitus haud nanciscentur mea haec vota, nisi collatis studiis et vos enitamini in id operis contendere, quod porro unum est, ac necessarium.

Id autem a vobis primum exposco, Venerabiles Fratres, qui throno pontificali adsidetis in Templo principe, et Episcopi presbyterium, coronam, senatum constituitis. Dulce profecto munus hoc est, Deo psallere, almaeque Sionis aemulos in hymnis,et canticis justificationes Dei enarrare. Ad id et ego officii honoratus in Liberiana Basilica, est quidem, cur sanctam, ac religionis plenam disciplinam publico commendationis testimonio commemorem, qua sacra ibidem peraguntur. Gratulor, eam et de vestro Ordine laudem invalescere, talem nimirum divinis caeremoniis, officiisque observantiam, assiduitatemque a vobis praestari, ut illustri hoc exemplo non reliqui modo Clerici, sed Populus quoque ad sacra frequentanda, sancteque colenda excitentur,atque accendantur.Vestrarum sane est partium

pro loco honoris, quem tenetis, rerum majestatem referre, quibus tractandis estis praepositi, ne in Urbe ob Magistratuum splendorem, ob Procerum copiam, ob civium cultum, ob advenarum frequentiam, aliisque ex nominibus florentissima id aliquando vilescat, quod religionis est, et decor ille domus Dei desideretur, quem cum Cassidoro *non pulchritudinem parietum dumtaxat dico, aut Ministrorum pretiosissimos apparatus, sed ipsorum actuum beatissimam qualitatem, quibus cuncta gaudet Ecclesia, scilicet in psalmorum jubilatione, in precum sanctitate, in Christiani Populi devotione* (Cassiodor. in psal. 25.)

Idem et vos moneo, qui in partem sollicitudinum electi estis in regimine animarum, Venerabiles Parochi. Honorem tueri Ecclesiastici ordinis ad vos etiam spectat, quorum mores exemplo sunt fideli Populo, ut inde pudoris, innocentiae, pietatis studio permoveatur. Hinc vero vestram operam ad animae curationem cupientibus praesto adsidue esse vos oportet, ullamque rem vestram huic officio nunquam praevertere. Positi deinde duces in populo, memineritis praecipuam muneris vestri partem recta adolescentum institutione in iis, quae scire Christianum hominem opus est, contineri, ac universi gregis cultura sollicita, qua ad doctrinam sanam imbuatur, et ad illa amplectenda, praestandaque pietatis officia incitetur, quibus salutis nostrae ratio constat, ac praesertim ad frequentem sacramentorum usum, quo tranquillitas animi, et constans in justitiae semitis tenendis voluntas obfirmatur.

Novimus quidem, quae istic pro veritatis catholicae studio communis omnium mens sit, et Domino proinde benedicimus, quod certo sciamus, sapientiam, quae secundum Deum est, non quae secundum elementa mundi,

omnium in cordibus alte defixam regulam esse, ad quam unice oves nostrae actus, sensusque componant. Vestrum ergo est cunctos in ea fide roborare cum omni patientia, et doctrina; qua quidem in re ne desides sitis, rogo vos per viscera Domini nostri JESU CHRISTI, cujus filii per Evangelium geniti traditi sunt vobis custodiendi. Sunt enim, qui et scripto et verbo adversus veritatis sermones insurgunt undique; et illacrymanda profecto ipsorum audacia est, qui bellum in Christi Ecclesiam infensissimum indixere. Hinc attendite, Fratres, ne intra fines vestros haec pestis misere pervadat ex venenatis illis libris, quos vere libros maledictionis dicimus, et impietatis. Fidei armaturam induite: et si qui fortasse inter oves vestras mollito sermone super oleum fabricatores mendacii subrepserint, cultoresve pravorum dogmatum, aliique id genus homines nequam, absit, ut humanis distineamini rationibus, quin malorum reparationem quaeratis, eosque arceatis ab Grege.

Hoc pro Religionis incolumitate studium splendeat et in unoquoque vestrum, qui ad sacra operanda adlecti estis, et ad eas praesertim disciplinas perdiscendas operam navate, quibus bonum, rectumque dignoscere, ceterisque ostendere possitis, ne ignorantiae nota inuramini, quae cum in Laicis vix toleranda sit, in Ecclesiasticis viris profecto, quorum labia custodire debent scientiam, nec excusatione digna esse videtur, nec venia. Sancta autem acturi sanctitate vitae praefulgeatis, opus est, ne ministerium vestrum contemnatur ab his, qui foris sunt, habentes malum dicere de vobis. Composito ad religionem animo, ac divino Numine propitiato, ipsoque habitu corporis, actioneque personae portendentes pietatem, procedite ad altare Christi, quasi de

thalamo virgines, ut fructus e divino sacrificio excipiatis uberrimos, et spectantibus, ac divinae rei operam dantibus maximam ejus venerationem injiciatis, eosque ad similem charitatis affectum incitetis.

Haec, quae Sacerdotum sunt, pervolventes animo, de vocatione perpendite, adolescentes Clerici, qui in Seminarii disciplinam traditi estis, aut vestrorum in aedibus immoramini. Summa quidem mihi, et Gregi universo expectatio de vobis est, quos in spem Ecclesiae istius, veluti nova electionis germina, confidimus succrescere in dies magis. Docili propterea, ac miti ingenio, et rerum optimarum cupido vitam, moresque ad salutaria instituta, et ad Clericalia officia sedulo excolite, ut odorem Christi semper deferatis in populum, atque ad Sacerdotium evecti verbo et exemplo praesidium tandem sitis, et oblectamentum Ecclesiae Dei, quae vos sibi suorum charismatum administros adscivit.

Quid autem vos moneam, qui Religiosis familiis educati, illae estis selectorum militum turmae, quibus Christus Dominus suam communivit Ecclesiam? Imitantes domestica Conditorum exempla, morum innocentiam, integritatem vitae, discessionem a saeculo, tenebitis alacriter susceptum perfectionis iter, arduum quidem, sed divinae charitatis dulcedine conspersum, et sagittas obtundetis parvulorum, qui veluti societati exitialia, vel inutilia saltem improbant vestra instituta, cladesque vobis attulere diuturnas.

Eadem et vestra cogitatio sit, Virgines Deo devotae: ad vestros enim Choros ista me lilia invitant e conclusis hortis fragrantia, in quibus, veluti in foraminibus petrae, habitatis columbae. Deturbatae e collibus thuris, flevistis super flumina Babylonis contritionem filiarum Sion. Audivit vos Sponsus, breviatisque pro-

pter electos diebus furoris vos iterum deduxit in areolas aromatum, ubi nardus, et crocus, myrrha, et aloe cum omnibus primis unguentis. Consolamini itaque, Filiae Sion inclitae, amictae auro primo; plantatae rursus super rivos aquarum, quae veniunt cum impetu e Libano, fructificate, quasi rosa, florete flores, date odorem, et frondete in gratiam, et benedicite Sponsum in operibus suis.

Haec ad personas Deo Sacras. Dilato nunc super vos omnes cor meum, quotquot estis omnium ordinum cives, Filii dilectissimi, ut sanguine immaculati Agni purgati digni inveniamini, quos ubertate domus suae coronet Deus. Ac vos primum compello, Viri Patricii, Decuriones, et qui Magistratum tenetis. *Nullae sunt majores divitiae, nulli honores, nulla hujus major substantia, quam est fides Catholica*: inquiebat S. Augustinus. Hunc sacratissimum thesaurum fidei religiose custodiatis, nullumque laborem, nullum incommodum, nullam sollicitudinem, impensamque formidetis, ubi de avita religione conservanda, augendaque, ac de divino cultu fovendo res sit. Salutem populi, nonnisi ab rei sacrae incolumitate, pendere memineritis, causamque religionis causam publicae felicitatis existimetis. Communibus in id votis, studiisque adlaboremus: sanctos quippe volo vos esse, qui meo estis regimini concrediti: Vos enim universos mea nunc spectat oratio. Aemulemur invicem charismata meliora. Contentiones, simultates, jurgia, offensiones procul ab Dieceseos nostrae finibus arceantur, nec inter eos succrescant, qui legem profitentur, cujus maximum, et primum mandatum charitas est. Festos dies cumprimis pie, ac sancte observent omnes, atque frequentes conveniant in templa, ac rite divinis adstent, ut alter alteri mutuo exemplo sit ad colendum, propitian-

dumque Deum. Aedes sacras, quae domus Dei sunt, summo studio habendas, excolendasque curent singuli, ne ubi criminum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut patrentur audacter peccata. Neque vero multo id sermone inculcandum censeo, cum modestia vestra nota sit omnibus: haud itaque immorabor, ut mulieribus Apostolicum praeceptum commemorem, ut velato propter Angelos capite ecclesias adeant, atque in illis versentur, eoque vestimentorum cultu, qualem mulieres decet promittentes pietatem per opera bona. Rectam demum filiorum institutionem etiam atque etiam commendo: ea quippe contempta *familiarum* habetur pernicies, flagitiorum congeries, omnisque ordinis clades, atque dejectio. In fletu, et planctu haec scribo, Charissimi; filii vestri sunt filii mei, quia sunt filii Ecclesiae: dirigite igitur gressus filiorum vestrorum in semitis Domini.

Haec, Venerabiles Fratres, haec, dilecti Filii, curanda, haec perficienda nobis omnibus sunt. Reliquum nunc est, ut adjuvari a vobis efflagitem orationibus vestris, ut *sarcinam nobiscum ferre Ipse velit, qui si nobiscum non portet, succumbimus* (S. Aug. in Psal. 46.). Intentas insuper, et adsiduas preces fieri obtestamur ad Patrem totius consolationis, ut LEONEM XII. Pontificem Maximum, et Dominum, Parentemque optimum sospitem diu servet Ecclesiae Catholicae, Romanaeque Rei publicae, quas pro summi Sacerdotii dignitate, ac pro tanti Imperii ratione providentissime, sanctissimeque moderatur. Glorificet ipsum Deus in dies, declinetque super eum, quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium. Prospera denique omnia ab donorum largitore Deo comprecemur Viro non dignitate solum, sed et virtutibus omnis generis eminentissimo PETRO FRANCISCO

Galeffio Episcopo Albanensi, qui sanctissimo consecrationis munere hac me die dignatus est.

Quae quidem vota, precesque ut exitus secundissimos assequantur, adsit et Pastori et Gregi MARIA Sancta Virgo Genitrix, ex qua omnis spes vitae, et fructus quilibet justitiae. Haec haec thronus est gratiae, ad quem adeamus cum fiducia: haec stella maris, ad quam respiciamus fidentes, si venti nos tribulationum concutiant: haec Mater pulchrae dilectionis, quam non dimittamus, nisi benedixerit nobis. Propitii adstent et TERENTIANUS, et Coelites ceteri Urbis istius, ac Dioeceseos Custodes, Statoresque, ipsique sermonem, vitamque nostram dirigant continuo, et ovile hoc pascant, simulque regant.

Verum finis heic sit Epistolae, quam testem scripsi dispensationis Dei, quae data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei, quo firmetur in nobis omnibus CHRISTUS JESUS, cujus in Corde suavissimo fausta, ac felicia omnia vobis adprecor. Deus Pacis aptet vos in omni bono, et Charitas Christi sit cum omnibus vobis.

Datum extra Portam Flaminiam vii. Idus Junii quo die sacram consecrationem accepi. An. Chr. MDCCCXXIV.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo P. S. P. A. Magistro
J. Patriarch. Constantinopolitanus Vicesgerens.

IMPRIMATUR

Fr. Philippus Anfossi Sac. Palat. Apost. Magister.